



167

1. W

ver

1676

1. W

1680

1. B

2. K

3. R

1694

1. W

co

n

1715

1. W

hu



Wienpferde, Diss. 1679/1715.

1671.

1. Weize, Christianus: De legibus, quatenus circa cas  
versatus prudentia legislativa.

1676.

1. Weize, Christianus: De lectione novellarum.

1680.

1. Biccus, Christianus: De pileo. . . . Rec. 1736.
2. Rimer, Johannes: De duellis mulierum. . . .
3. Rimer, Johannes: De bellis mulierum.

1694.

1. Wedig, Jo. Hieronymus, de: Num in extremis casu  
conscienter incenduntur naves a Batavis, aliove,  
ne ipsi in hostium veniant potestatem? . . .

1715

1. Widdlingius, Christianus: De jure evahendi gloriosos  
heroes in fastigium principum imperii


<37



1871. ...  
1872. ...  
1873. ...  
1874. ...  
1875. ...  
1876. ...  
1877. ...  
1878. ...  
1879. ...  
1880. ...  
1881. ...  
1882. ...  
1883. ...  
1884. ...  
1885. ...  
1886. ...  
1887. ...  
1888. ...  
1889. ...  
1890. ...


























1750





17507

1532

Q. D. B. V.  
DISPUTATIO POLITICA  
De

# LEGIBUS

QVATENUS CIRCA EAS VERSATUR  
PRUDENTIA LEGISLATORIA,

Qvam  
In Illustri ad Salam Augusteo

Solenniter  
P. P.

PRÆSES  
M. CHRISTIANUS *Weise* /  
Polit. Prof. Publ.

*Et Respondens*  
CAROLUS FRIDERICUS *Happel*  
Greussenâ-Thuringus.  
ipsis Calend. Septembr. M DC LXXI.  
H. L. Q. S.

---

LEUCOPETRÆ,  
Literis HILDEBRANDIANIS,

1532





VIRIS

*Nobilissimis, Excellentissimis & Juris  
Consultissimis*

DNO. VOLCKMARO, ut &  
DNO. GUSTAVO CHRISTIA-  
NO, J. U. L.

HAPPIIS,

Comitibus Pal. Cæsar. Serenissim.  
Duc. Saxo-Vinariensium, nec non Illustriss. Comit.  
Schvartzburg. respectivè Consulariis, Aulicis  
& Ecclesiasticis undiquaque gra-  
vissimis,

*Dominis Patronis ac Patruis meis  
observandissimis*



## PATRONI OPTIMI.

**A**D vos igitur industria mea tendit Specimen, quum quoad sanguinis nominisq; similitudinem, tum quoad insignia in Remp. merita, tum praeipue quoad singularem erga me amorem, Beatum meum Parentem expressistis hactenus, & credo, exprimetis imposterus. Enimvero, si unquam Cynosura mihi fuit opus; jam exquisitissimis indigere videor consiliis, ubi ad sublimiores studiorum Academicorum cursus praeparandus sum ac dirigendus, ne aut in ipsa via deficiam, aut tamen in consequendo fine tardior sim & infelicio. Uno verbo, nunc suscipiendum id est, unde temporalis mea dependet fortuna ac dignitas. Sed facite, o faventissimi studiorum Promotores, ut vestra me semper provehat benevolentia, & si qua in tractandis literis occurrunt molestiae, eas omnes tanta promotionis diluat expectatio. Neque istum favorem imminuet reciprocorum apud me officiorum imbecillitas, cum generosus animus in sola gratitudinis voluntate meritum inveniat, & fortassis etiam firmior aliquando etas in pleniora patere queat servitia. Quod ut vivendo utrinque assequamur, Deus vos servet, in tot **ILLUSTRIUM PER SONARUM** incrementum, in Patriae augmentum, Familiae ornamentum, Eruditionis levamentum. Valete

Nomin. Vestr. Nobiliss.  
additissimus

Dab. Leucopetræ è Museo  
Prid. Cal. Sept. 1671.

**CAROLUS FRIDERICUS Happe.**





C. B. D.

## PROOEMIUM.

I.



Disputabatur non ita pridem de BONO POLITICO, ejusque bonitas maximam partem referebatur ad dictamen rectæ rationis, Legumque honestarum regulam: Sed brevitatis thesium ea erat, ut, nec omnis in materiâ satis arduâ tolli posset obscuritas, nec, quæ de Legibus dici poterant, locum invenirent per paginarum angustiam.

Operæ itaque præcium fuerit, in nobilem illam & maximè necessariam de LEGIBUS quæstionem paulò inquirere accuratius: non quidem eâ subtilitate, quam observatam deprehendimus à Viris hinc inde celebratissimis; sed eâ simplicitate, quam versantibus in Gymnasio, ipsiusque adeo Philosophiæ profundioris limine, non inutile fore confidimus.

II. Et quidem ignotum nemini esse debet, ipsius Philosophiæ Practicæ Systema in tres potissimum partes dispesci, ita, ut primò agatur de fine ultimo sive Summo Bono; deinde veniat explicatio de subjecto Summi Boni; tandem disquiratur de mediis Summum Bonum introducuntibus.

III. Neque ista divisio illorum saltem est, qui Ethicam & Politicam pro eadem agnoscunt disciplinâ, & proinde in Ethicâ nihil nisi doctrinam de Summo Bono, quod in Virtutis operatione positum est, agnoscunt; in Politicâ verò partim tractant de Civitate, quæ S. B. subjectum est, partim de Legibus, quæ introducendi sunt media.

Sed etiam



iam solā quibusdam Ethica sic disponitur, ut Subjectum S. B. sit Homo, quatenus indeterminatè se habet ad civitatem & extra civitatem; Media verò sint Jura naturæ, sive Leges omnium mentibus inscriptæ, quatenus illæ ad exercendam virtutem dignoscendamque in omnibus mediocritatem, stimulos & lucem suppetunt, & quatenus à Jure gentium, quod Politicæ relinquitur, sunt distinctæ.

IV. At verò ut istam hoc loco aut conciliemus, aut destruamus hypothesin, nulla urget necessitas. Sufficit nos promississe tractatum de Legibus, quæ ad conservandam Remp. ut media concurrunt, seu ut clariùs loquamur, quæ Civibus & ad excolendam virtutem, & ad procurandam sufficientiam, & ad stabiliendam securitatem largiuntur adminicula.

V. Et istius quidem materiæ diversa potest esse tractatio. Nimirum aliter Leges considerantur, quatenus vim accipiunt à Majestate seu potestate Legislatoriâ; aliter, quatenus subditos ad plenam obedientiam obligant; alter quatenus à prudentiâ legislatoriâ proficiuntur. Magna etiam intercedit æquivocatio, cum Leges sæpè in eâ accipiantur latitudine, ut pacta & promissa, imo quodvis consilium, sine ullâ obligatione propositum, comprehendant.

VI. Interim è tricis ejusmodi facilè licet emergere, si dicamus, considerari h. l. leges, quatenus media sunt introducendi felicitatem publicam, h. e. in ordine ad prudentiam. Sanè triplex communiter statuitur prudentiâ, *Legislatoria*, *Consultatoria*, *Judiciaria*, Arist. Ethic. lib. 6. cap 8. & proinde tres mediorum politicorum classes sunt, ubi Legislatoriæ respondent Leges; Consultatoriæ, Consilia; Judiciariæ Judicia seu accurata Legum in singulis executio. Sed relictis reliquis Legislatoriâ maximè nunc decet considerare, ita ut primò in genere inquiramus, quid sint Leges, deinde, quomodo Prudentia cum iisdem concurrat, ostendamus.

VII. Id saltè, antequam ulterius progredimur, addendum est de fine Civitatum, qui aliter intenditur ab Ethnicis, aliter quæri debet à Christianis. Faciuntque huc aurea pla-



ne verba Thomasi *Disput. de potest. Legislat. lib. 32. Distinctione*, inquit, *res expedienda, si Civitatis cujusque duas facimus felicitates, unam temporalem, quæ cum hac vita terminatur: alteram spiritua-* lem, *quæ ad future vite gaudia ordinata porro est.* Sanè spiritua-  
lis hæc felicitas ad Theologiam potius curamque spectat Ec-  
clesiasticam: attamen eò respicere debet Politicus, primò, ut  
caveat, ne temporalia contrariantur spiritualibus; deinde ut  
externam Ecclesiæ curam gerere, Legesque in his etiam cau-  
sis promulgandas ordinare queat rectius. Plura circa hanc  
materiam se offerent infra, jam pergamus ad institutum.

### CAP. I.

## DEFINITIONEM DIVISIONEMQUE EXHIBENS.

### I.

**D**Um in generalem legis definitionem inquirimus, diversas  
in diversis autoribus invenimus sententias. *Aristoteli lex est*  
*Oratio à Prudentia & Intelligentiâ profecta, vim habens cogendi.*  
Aliis cum *Grotio J. B. P. lib. 1. cap. 1. n. 9. est regula actuum mora-*  
*lium, obligans ad id, quod rectum est.* Aliis, cum quibus facit  
*Conringius Disp. de Legib. thes. 3. est regula humanarum actionum,*  
*à Majestate prescripta.* Plures definitiones, quæ ab his fortè  
abeunt, & in verbis potiùs quam in re ipsâ diversitatem fovent,  
non curamus.

II. Jam autem quæ trium istarum definitionum sit concor-  
dia, quæ discordia videndum; id quod procedet optimè.  
Si quam habet Grotius, breviter resolvamus, resolutam reli-  
quis applicemus.

III. **GENUS** est *Regula*, non in sensu latissimo, ubi signifi-  
cat quodvis principium directivum (Id enim nimis est remo-  
rum) sed cum restrictione ad actus morales. Quid verò de  
actionibus moralibus statuendum sit, nervosè explicuit *B. Stü-*  
*terus in doctissimo tractatu, cujus editionem posthumam non sine gra-*  
*ti animi oblatione debemus Plur. Rev. Dn. L. Löflero.* Nimirum  
duplex earum actionum forma est, *absoluta & relativa.* Per ab-  
solu-



solutam formam, quatenus actio consideratur, quid sit in se ratione potentiae, à quâ oritur, dicitur voluntaria seu libera: hinc nulla actio moralis est, quin homo positus omnibus ad agendum requisitis possit non agere. Per relatam formam, quatenus ea convenientiam aut disconvenientiam arguit cum rectâ ratione, dicitur bona vel mala: hinc actus animales, quæ appetitum sensitivum sequuntur, nec ad rationem se accommodant, physicè non moraliter boni sunt *vid. omnino Cap. 6. thes. 77. seqq.*

IV. Sed displicet quibusdam Regulæ vox, quasi sit metaphorica, & hinc in definitione locum inveniat minus commodè: Verum id concedi omninò non potest. Nam Regula in conceptu latissimo, est Principium aliquod certius & notius, cui conformari debet aliquid incertius & minus notum, ut vel rectum vel bonum dicatur. Id quod tam propriè dicitur de lege, quàm de regulâ Architecti. Sanè omnis comparatio non facit metaphoram, & dicere quidem possum, sicut se habet regula Architecti ad normatum seu ædificium, ita se habet lex ad actionem: Sed ea locutio procedit in omni specie, e. g. sicut in generatione se habet Equus ad equam, sic se habet Cervus ad cervam, nec tamen generationis vox in altero loco sumitur metaphoricè.

V. DIFFERENTIA desumitur ab effectu obligandi, nimirum aut lex jubet & actus facit debitos, aut vetat & actus facit illicitos, ut adeò, qui sub lege sunt, necessariò aliquo vinculo ad faciendum vel ad fugiendum astringentur, h. e. ut pulchrè explicat *Bæclerus ad Grot. J. B. P. l. 1. c. 1. §. 9.* cum relatione ad aliquam pœnam violationi juris alicunde imminentem. Sed ista differentia ad omnem legem spectare non videtur, cum obstet trita distinctio Juris *præceptivi & permissivi*. Licet enim præceptivum quod facienda & fugienda expressè determinat, aliquam eo ipso necessitatem includat, unde obligationis fundamentum est: at tamen permissivum actus licitos comprehendit, qui nec jubentur, nec vetantur, & proinde libertatis potiùs quàm necessitatis sunt, h. e. ab obligatione quàm longissimè remouentur,

VI.



VI. Verum enimvero quia permissio non est legis actio, quæ positivè in lege exprimitur vel exauditur; sed actionis negatio sive silentium legis, unde per consequentiam hujus vel illius actionis indifferentissimus colligitur: Inde apparet analogicè convenire istam distinctionem, & itaque eadem definitione non posse comprehendi, cum sufficiat attigisse potissimum analogatum.

VII. Interim omnis respectus Juris permissivi non excluditur, si attendamus ad reliqua definitionis verba: obligare enim dicitur *ad id, quod rectum est*. Ubi notandum, rectum summi dupliciter, aut *in sensu stricto*, quatenus denotat debitum & necessarium, aut *in sensu laxo*, quatenus denotat non debitum, honestum tamen & laudabile. Et quidem oppositos istos in Grotio terminos accuratè observavit *Thomasius Tab. Grot. A. §. III.* Fortassis ita res explicari potest. In strictâ rectitudine unum saltem bonum est, quod eligi debet: in laxâ sunt plura bona, sive specie, sive gradibus differentia, è quibus citra peccatum id eligi & què permittitur quod minus, quam quod magis bonum est: Faciuntque huc egregia Grotii verba *lib. 1. cap. 2. §. 1. Hoc ipsum, inquit, quod honestum dicimus, pro materia diversitate modo (ut ita dicam) in puncto consistit, ut si vel minimum inde abeas, ad vitium deflectas; modo liberius habet spatium, ita ut & fieri laudabiliter, & sine turpitudine omitti aut aliter fieri possit.* Dabimus exemplum. In Justitiâ particulari strictè observatur proportio, sive ea sit arithmetica sive geometrica, ita ut peccatum committat, qui vel minimam partem ab istâ proportionem discedat: Contra in aliis virtutibus, velut in liberalitate, ejusmodi punctum non observatur: posito enim excedere in dando, qui largiatur 30. taleros, deficere qui largiatur decem, erit quasi stricta mediocritas constituta in 20. taleris. Interim in excessum vitiosam non prolabitur, qui largitur 25. sicut defectus inhonestus non est, cum dantur 15, licet, ut jam dictum, honestius & laudabilis sit, dare 20. Idem accidit in temperantiâ, ubi si excessus est bibere quatuor cantharos, defectus, bibere dimidium, illicitum non est bibere tres vel duos. De reliquis idem est Judicium.

IIX.



IIX. Jam si rectum sumitur in sensu laxo, quemadmodum aliter fieri non potest, sanè locum sub legis notatione inveniunt non solum præceptiva, sed & permissiva, & obligatio aut intelligenda est determinatè: *fac hoc, omitte hoc*: aut indeterminatè, *fac, quod malum non est*.

IX. Explicata satis est Grotii definitio, veniamus nunc ad reliquas. Et Genus quidem, quod à Grotio dicitur *regula actuum moralium*, Conringio est, *regula actionum humanarum*, eodem planè sensu. Nam moralitas in neminem cadit, nisi qui rationalis est; rationale verò & humanum à se invicem in hoc passu non differunt. Licet etiam sub humanis actionibus comprehendi possint artificialia: ea tamen bona non sunt simpliciter, sed secundum quid, neque ad finem ultimum hominis acquirendum præstant quicquam. *vid. Thomaf. Philos. Pract. Tab. XXIX. l. 15.* Inde patet in significato famosiore humanam actionem sumi pro morali. Sed quæstio emergit, an *actus* idem sit quod *actio*? enimverò apud Politicos & Moralistas parùm discrepant hi termini; interim qui metaphysicam sectantur subtilitatem, diversus utrinque respectus observant, nimirum *actus* dicitur in ordine ad potentiam, quam actuat; *actio* autem significat ipsum motum à potentiâ activâ elicitem.

X. Neque diversum sentit Aristoteles, dum id vocat *Orationem à prudentiâ & intelligentiâ profectam*, quod alii dixerunt *Regulam actuum moralium*. Si enim perpendamus, quomodo lex tanquam regula concurrat ad actiones morales, aliter id fieri nequit, nisi per syllogismum, cujus major propositio lex ipsa est, minor propositio continet actionem, & tandem in conclusione actionis legisque aut convenientia aut inconvenientia elicetur. Ex quo manifestum est, regulam actuum moralium semper esse propositionem seu orationem, non quidem qualemcunque, sed quæ *Prudentiam sequatur & Intelligentiam*. Istæ enim Virtutes intellectuales necessariò requiruntur, & Intelligentia quidem primum aliquod principium speculative suppeditat; Prudentia verò bonitatem vel malitiam ex isto principio practice colligit, & generalibus

B

fin-



singularia applicat. *Vid. Sluter. Act. Moral. cap. 6. §. 79. & Fel-*  
*den ad Grot. lib. 1. §. 9. p. 23.*

XI. Reliquum est, ut conciliemus quoque Differentiam,  
quam Grotius collocat in obligatione, Aristoteles in vi co-  
gendi, Conringius in Majestatis præscriptione. At verò di-  
versitas in his dictionibus non est, sed diversus saltem confide-  
randi modus, quippe in posteriori sensu ipsa tangitur legis  
causa efficiens, in priori legis actio absoluta & antecedens, in  
medio legis actio hypothetica & consequens.

XII. Satis de definitione. Divisio communis est in Jus  
Divinum & humanum, ad cujus utriusque accuratiorem inqvi-  
sitionem peculiari opus fuerit capite.

## CAPUT II. DE JURE DIVINO.

Thes. I.

Jus divinum, quod vim ac auctoritatem accipit à Domino Do-  
minantium, duplex est, Naturale & positivum seu volunta-  
rium. Quæ distinctio, quid significet in genere, optimè declarat  
*Thomasius* in aureo Tabularum Grotianarum specimine Tab. C.  
§. X. n. 1. cujus utinam continuationem aliquando exorare aut  
imitari *Carpzovius* queat. Liceat exscribere verba, quæ me-  
lius reddi non possunt. *Definitio juris tum naturalis tum volunta-*  
*rii pulcherrimè ex amborum eruitur collatione mutuâ. Differunt*  
*autem partim Principio, partim Objecto. Principium juris na-*  
*turalis est voluntatem ipsius quoque Dei antecedens necessitas; vo-*  
*luntarii, libera ferenda Legis positiva potestatem habentis voluntas.*  
*Objectum juris Naturalis sunt actus suapte naturâ determinati*  
*ad moralem vel bonitatem (Grotio hæc est necessitas) vel malitiam*  
*(quæ Grotio turpitudine) illos naturâ debitos vocamus, hos illicitos.*  
*Voluntarii juris objectum sunt actus suâ naturâ moraliter indiffe-*  
*rentes, hoc est, nec boni, nec mali; quare licitos vocare mos est. Se-*  
*cundum hæc planissimè definitiones erunt hæc: Jus naturale (volun-*  
*tarium) est, quod pro principio habet necessitatem absolutam,*  
*(voluntatem liberam) pro objecto actus moraliter determinatos*  
*(indifferentes.)*

II. Jus



II. Jus igitur divinum voluntarium ejusmodi etiam in se actus continet, qui bonitatem non in se habent, sed ideo boni sunt, quia sic libuit, pro suo liberrimo arbitratu Enti liberrimo. Sanè ad bonum finem semper diriguntur, sicut apparet in Legibus Judæorum, respexisse eas sive ad evitandum malum, in quod pronus erat populus, sive ad probandam obedientiam, sive ad memoriam beneficii à Deo accepti, sive ad futurum Messiam, &c. Cæterum quia non nisi ex sacris literis patet hæc cognitio, prolixius inquirant Theologi, latentemque hæc in materiâ Socinianismum diluant.

III. Accuratiores quæstio sit de Jure naturali, quod, cur divino annumeraverimus, illi fortassis objicient, qui Epicureismum hoc nostro seculo excitant, vel Epicuro pejores Hobbesium sequuntur, quasi nihil in se justum sit ac necessarium, nisi quod utilitatis respectus comprobaverit. Sanè Leges naturæ obligant, pœnamque simul dicunt, id quod ex malâ conscientia satis patet: Sed obligatio puniendi que potestas superiorem præsupponit: Neque tamen aliquis alius respectu universæ naturæ superior esse potest, quam Deus supremus ille naturæ Autor & Dominus. Et si ratio quicquam confert vel ad principiorum notitiam, vel ad eorundem applicationem, ea sub Deo, tanquam subordinata, comprehenditur.

IV. Venimus nunc ad definitionem Juris naturalis, quam breviter ex Thomasio proposuimus *ibid.* I. Grotius prolixiores affert *l. c. §. 10.* Jus natura, inquit, est dictamen rectæ rationis, indicans actui alicui ex ejus convenientiâ aut disconvenientiâ cum ipsâ naturâ rationali, inesse moralem turpitudinem, aut necessitatem moralem, & consequenter ab Auctore natura Deo talem actum aut vetari aut præcipi. Inesse his verbis obscuritatem conqveruntur Commentatores. Felden p. 26. & novissime Osander in perspicuis suis observationibus ad *Tb. 10. obs. 1. p. 174.* sed fortassis intelliguntur melius, quæcumque hic dicuntur, si dispiciamus 1. in quo actionum consistat moralitas seu bonitas vel malitia, 2. quomodo ista moralitas à recta ratione didetur aut cognoscatur.

V. Et quod ipsam attingit moralitatem, ea in comparatione bonitatis aut malitiæ ad legem triplicem habet



respectum, ad Objectum, ad finem, ad circumstantias. Primum quæritur de objecto, quippe quod idem præstat in moralibus, quam forma in naturalibus: hinc bonum est diligere Deum; malum, diligere Diabolum, quia illic Objectum actionis est bonum; hic malum. Sic quoque Finis magna habetur ratio, quia homo actionis moralis causa diversum habere potest propositum, ut inde optimam esse probationem statuta *Grotius lib. 2. cap. 7. n. 2. e. g. Qui pius est, ut placeat Deo, bonum finem respicit; qui verò suâ pietate vanam inter homines gloriam quærit, à bonitate finis multum abest. Hinc etiam actio illa dicitur bona, hæc mala.*

VI. De Circumstantiis tandem dici vix potest, quantum istæ interdum pondus habeant in ipsis actionum respectibus. Et earum quidem aliquæ actum saltem concomitantur, nec quicquam in moralitate minuunt: ut, si immerentem occidas, perinde fuerit, an feceris hastâ an gladiò; aut si eleemosynam eroges, major non erit virtus, sive rubram sive albam habueris vestem. Aliæ non modo actum concomitantur, neque tamen specificant, sed moralitatem augent vel minuunt e. g. si furto auferas 10 taleros, majus erit peccatum, quam si abstruleris 5. & tamen utrinque furtum est commissum: aut si heros in bello decem occidat hostes, minus gloriæ reportavit, quam qui occidit 100. & tamen uterque fortitudinem exercuit. Aliæ denique non concomitantes aut augentes & minuentes sunt, sed specificantes, id quod contingit, si circumstantia nova emergens cum ratione aut cum legibus pugnet, e. g. Deum colere, restam quoad Objectum, quam quoad finem est legitima; Sed si colatur illicito modo, sicut ab Israëlitis per aureum vitulum, circumstantia universam rem vitiat.

VII. His positis, jam quæritur, quomodo Intellectus de triplici istâ bonitate queat judicare? Ubi videndum, quæ sint prima principia, quæ principiorum applicatio.

VIII. Primum Principium, quod cum ipsâ naturâ quasi in primis statim versatur cunabulis, est hoc: *Bonum est eligendum, seu ut rectius exprimamus, negativè, Quod bonum non est, eli-*



*eligendam non est. Sequitur alterum principium: Majus bonum eligendum est, pra minori. Sequitur tertium: Qc. est propter se, id majus bonum est eo, quod est propter aliud.*

**IX.** Hæc ubi secum cogitavit Intellectus, jam incipit applicare minorem syllogismi propositionem ad sua principia, & inde cogitat de Objecto, quod sit bonum, quod sit reliquis melius, quod sit propter se, quod propter aliud. Et Objecti quipem bonitas fundatur in amicitia, quæ colligitur è natura similitudine, aut ex beneficio. Nam bonum nobisqve conveniens videtur, quod nostri similitudinem refert, & quia nihil nobis magis est simile (liceat paulum improprie loqui) quam nos ipsi, primum conclusum est, *nobis esse benefaciendum, nos esse conservandos.* Alteram similitudinem exhibet homo, quicumque is sit. Inde nascitur hæc conclusio: *Benefaciendum est homini, seu quod clarius sonat: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Etiam gradus bonitatis in eo ponuntur, ut melius esse putetur objectum, quo magis est simile: Ita magis obligati sumus vicino, quam peregrino, Christiano quam Ethnico, &c.

**X.** Altera bonitatis ratio consistere dicebatur in beneficio, ut omnia judicemus bona, unde benefactum nobis est, imo à magnitudine beneficiorum, magnitudinem bonitatis metiamur. Inde præferuntur reliquis hominibus, *Parentes, Præceptores, Magistratus.* His præfertur summus ille benefactor Deus.

**XI.** Equidem ista bonorum prærogativa sic satis fundata videtur; sed illustrior tamen rationis dictatum fit, si attendatur ipse Finis, quem intendere debent actiones: ubi militat hoc principium, *in eligendo objecto, finis respici alius non debet, nisi qui objecto conveniat.* Jam si homo consideret, cur ipse cum reliquis hominibus sit natus, intelliget id factum non esse propter se simpliciter, sed propter societatem seu Remp. unde emerget hoc conclusum: *Publica præferenda sunt privatis.* Porro si inquiret, cur instituta sit societas, videbit id factum esse non modo ad obtinendam sufficientiam, sed potius ad excolendam melius virtutem, uno verbo, ad gloriam Dei, unde

B;

nasci-



nascitur hoc axioma: *Divina preferenda sunt publicis* seu ut exprimit Apostolus, *Deo magis obediendum quam hominibus*. Et hic etiam illustratur, quod de fine diximus in proem th. VIII & quod nuper *Diss. de Bon. Polit. thes. 7.* inter dictata rectæ rationis referebamus: *felicitem eternam preferendam esse temporali*. Eiusmodi enim dictata ad rationem non spectant absolutè, sed hypotheticè, quasi dicas, posito Intellectum eruditum esse de salute æternâ, judicabit ex lumine naturæ, bonum istud æternum, tanquam majus, præferendum esse temporali, tanquam minori.

XII. Ex isto etiam respectu ad finem omnis legum naturalium *Cyclus Davia* tolli potest. Nam contingit sæpius, ut, quod ab una lege præcipitur, ab altera prohibeatur. Sed hic, ut jam dictum, præferenda sunt publica privatis, Divina humanis. Pulchrum exemplum affert *Zieglerus* de usucapione ad *Grot. lib. 2. cap. 4. §. 1. p. 252.* Probè, inquit, conferenda sunt, quæ hic collidi videntur, præcepta. Unum est: Res domino invito non est auferenda. Alterum: Reip. interest rerum dominia non esse in incerto. Jam, ita pergit *Vir summus*, ubique in negotio aliquo duo ejusmodi committuntur præcepta, ut inferius vedat superiori necesse est. Superius autem sine dubio est illud, quod beatitudinem totius civitatis procurat, & majus post se trahit commodum. Sic *Osiander* ad *Grot. lib. 2. cap. 5. th. 13. Observ. 3. p. 774.* non ineptè observat sororem fratrumque connubia licita fuisse tempore Adami, ex comparatione boni publici, cui cedere debeat privatum. Aliter enim propagari non potuisse genus humanum.

XIII. Nunc videndum quomodo cognoscatur bonitas circumstantiarum, quæ quidem comprehenduntur in vulgari versiculo: *Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?* Sed liceat exinde duas istas, *quid? de Objecto, & cur? de fine* separatim tractasse, tanquam magis intrinsecas. Caterùm licet bonitas actionum judicetur è circumstantiis: opus tamen est, ut ipse prius judicentur circumstantiæ e.g. duellum commissum in aula gravius est, quam quod in popinâ: sed



sed prærequiritur ratio, cur aula sit sanctior quàm pò-  
pin.

XIV. Sanè peculiarem dissertationem postulare videtur  
hæc quæstio: Interim quæ de Circumstantiis proferri possunt,  
magnam partem illustrantur ab iis, quæ diximus de objecto &  
fine, cum nulla sit Circumstantia, quæ non exinde suam ca-  
piat moralitatem. Dabimus exempla. In Circumstantiâ  
QVIS? gravius peccatum est, si Christianus occidat Christia-  
num, quàm si confodiat Turcam; aut si quispiam verberet Pa-  
trem, quàm si percutiat servum: Illud autem, sicut de Objecto  
diximus, judicatur à naturæ similitudine, hoc à beneficio. In  
Circumstantiâ UBI? peccatum est bibere in templo, ludere in  
scholâ, rixari in toro: nimirum alius finis est, ad quem desti-  
nata sunt ista loca. In Circumstantiâ QVIBUS AUXILIIS?  
malum est, si Ecclesiastes convivâs excipiat calice sacro; huic  
enim finis non convenit. Pejus est occidere gladio quàm ba-  
culo, ibi enim finis occidendi magis elucet. In Circumstan-  
tiâ QVOMODO? Turpius est occidere hominem ex destina-  
tione animi, quàm ex primo motu iracundiæ: nimirum ille  
Objecti & finis inconvenientiam judicare debuit; hic judicare  
non potuit. In Circumstantiâ QVANDO? peccatum est  
laborare Diebus festis, quippe quod istæ finem habent  
alium, &c.

XV. Sufficiat ea breviter tetigisse. Jam in fine capitis i-  
pfas legum naturalium classes referamus ex Thomasio, *Tab.  
Grot. D. §. XIV. n. 1. Lege Naturali dirigitur officium hominis vel  
versus Deum (qualis illa: non habebis Deos alienos coram me)  
vel cum homine. Si cum homine vel secum ipso (qualis illa: No-  
lite inebriari vino Eccl. 5. 18) vel cum aliis. Cum his autem vel  
in genere (qualis illa: non occides) vel in specie circa certam  
societatem, puta vel domesticam (ut illa: honora Patrem,  
quatenus restringitur ad Patrem propriè dictum) vel Civilem (ut:  
Omnia anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Rom. 13.  
1.) vel Gentium. Præcepta verò Juris Gentium generalissima vel  
utriguardines aut fontes cæterorum duo videntur esse: I. Stude pa-  
ci II. Consule paritati.* CA-



CAPUT III.  
DE JURE HUMANO.

Thef. I.

**B**revior istius Capitis erit tractatio. Communis divisio Juris humini est in *Jus Gentium & Civile*. Sed quid per *Jus gentium* denotetur, autores non consentiunt. Vidimus certè thesi superiore Principia ejus pertinere ad ipsum *Jus naturæ*, & pulchram applicationem exhibuit *Thomasius Diss. de Legar. inviolab.* Paulo aliter, at dissentientem non habiturus *Thomasium* procedit *Zieglerus ad Grot. lib. 1. cap. 1. §. 10 p. 51.* Is distingvit inter *Jus naturæ primariū* s. principia *secundariū* seu conclusiones è principiis eductas. Porrò *Jus Gentium* itidem facit *primariū*, quod nihil aliud quam *Jus naturæ secundarium*, & *secundarium* quod non tam per modum *necessariæ conclusionis*, quam per modum *arbitrariæ determinationis* confectum est.

II. Arbitraria igitur determinatio *Jus Gentium*, quatenus humanum vocatur, constituit. Et quia expressam omnium Gentium voluntatem in nullo negotio colligere possumus, nisi quod in dubio id quisque creditur voluisse, quod justissimum est; sequitur etiam *Jus Gentium* universale haberi non posse. Interim aliquorum populorum pacta & placita hoc nomine satis rectè insigniuntur. Quale istud erat Hispanorum & Belgarum durante bello, ut captus à captore se suo mensis unius stipendio posset redimere. *Conring. Diss. de Legg. edit. 1643.* Pertinent huc ad vim legis progressæ consuetudines Militum (*Kriegs-Manier*) Mercatorum, Opificum, &c. quæ sæpius per universam Europam & ultra sanctè custodiuntur.

III. Neq; tamen Legis vocabulum ejusmodi pactis commode tribui potest; cum lex obligationem, obligatio superiorem præsupponat, superior verò inter gentes sibi æquales non reperiatur. Proinde Leges dicuntur non propriè sed reductivè. Omne enim pactum hanc naturæ legem includit: *Stipulatio promissis*, in quo respectu & necessitas & obligatio pactis & promissis videtur accrescere, vid. *Pufendorf. Elem. Jurispr. lib. 1. Def. 13. §. 16. p. 272.*

IV.



IV. Jura Civilia etiam duplicia sunt. Aut statum publicum ipsamque ejus administrationem dirigunt, ac inde dicuntur publica seu fundamentalia: aut ad regendos cives ac privatos proponuntur, unde vocantur privata. De Jure publico, quia meris pactis & conventionibus absolvitur, nec tam à superiore quam inter duas partes sive æqualiter sive inæqualiter liberas concipitur, id repetendum, quod supra *tb. 3.* diximus de Jure gentium, obligationem ejus venire *ex Jure natura, & honestate servandorum promissorum.*

V. Jura privata ea ipsa sunt, quæ à suprema potestate subditis imponuntur, & pro diversitate Rerump. & temporum sæpius mutari ac aliter proponi solent, id quod ex Legum tabulis observari hinc inde potest, quorsum remittere duximus curiosum Lectorem.

#### CAPUT IV. DE PRUDENTIA LEGISLATORIA,

Thef. I.

Nunc restat, ut officium Prudentiæ Legislatoriæ inquiramus, quod fortassis adeo manifestum non est, cum Aristoteles ipse τὴν νομοθεσίαν referat ad prudentiam Consultatoriam. Sed distinctionis explicatio multum lucis afferet. Prudentia legislatoria ea vocatur, ut rectè observat *Conringius Civil. Prud. cap. 9. p. 179.* quæ in genere docet, quid agendum omitendumve in omni Republicâ, & eo ipso quasi leges præscribit omnibus Rerump. actibus. Sed Prudentia Consultatoria est, quæ in specie inquirit, quantum huic Reip. prodest, propositas in universali leges amplecti. Sic Tiberius apud *Tacitum Annal. lib. 3. cap. 53.* ex Prudentiâ Legislatoriâ facilè conjiciebat honestum esse renovare legem sumptuariam: at tamen ex Consultatoriâ pensitabat, *an coerceri tam profuse cupidines possent; num coercitio plus damni in Remp. ferret.* Et hinc suæ ad Senatum epistolæ hæc immiscebat verba: *nescio, an susurus fuerim, omittere potius prævalida & adulta vitia, quàm hoc assequi, ut palam fieret, quibus flagitiis impares essemus.*

C

II. His



II. His præsuppositis expediendum relinquitur, quomodo per Prudentiam Jura Civilia in genere dirigantur: quid in Jure divino per Jus istud humanum retinere aut mutare liceat? Sanè quod concernit Jus Dei positivum, istud nullâ ratione vel per dispensationem vel per liberalem explicationem in alium sensum detorqueri debet, quicquid in contrariam partem aut clanculum aut apertè moliantur Pontificii, quibus, relaxare juramentum, solvere matrimonia, concedere gradus prohibitos, &c. non amplius peccatum est, cum tot probationis loco exempla occurrant.

III. Neque aliter statuendum est de Jure Naturæ præceptivo, quod profectò in actibus etiam Reip. æternam suam servare debet necessitatem: Ut proinde graviter aberrant à finibus prudentiæ, qui rem naturâ debitam facere cupiunt aut indifferentem aut illicitam, quemadmodum aliquæ gentes Parentum cædes in senectute inutili approbarunt, alia fratrum & sororum connubia permiserunt, &c.

IV. Sed objiciat quispiam illud Pauli Jcti l. 144. ff. de R. J. *Non omne quod licet, honestum est*, unde sequi videtur, ab honestatis norma Jurium civilium permissiones posse discedere. Etsi autem explicationem facile possemus invenire, hoc modo, *non omne quod nulla pœna civili corrigitur, honestum est*. Tamen tria sunt, quæ ad hunc locum, & ad similes Objectiones commodè moneri queunt. I. Non quæritur, an malæ leges reperiantur, sed an à Prudentiâ approbentur. Prius, præsertim in malâ Rep. verissimum est, & fatetur Grotius lib. 2. cap. 7. §. 1. *leges quasdam civiles esse planè injustas*. Posterius nunquam conceditur. Hinc quod Grotius eodem loco adducit de bonis naufragorum fisco addicendis, à multis, admonente Prudentiâ rectiqve contemplatione, abrogatum est. *vid. Grot. annot. ad. b. l. II. Supra cap. 2. th. 12.* dictum fuit, interverti aliquando posse legem naturæ, si videlicet accedat aliqua potior. Hinc sæpe quod simpliciter & in se videtur injustum, relativè ad commodum majus injustum non est. Faciunt huc verba Taciti  
lib.



lib. 14. *Annal. cap. 44. Habet aliquid ex iniquo omne magnum*  
*exemplum, quod contra singulos utilitate publicâ rependitur. III.*  
Distingvi etiam debet Honestum externum ab interno. In-  
ternum à lege naturæ strictâ profluit; internum in hominum  
sociatorum indifferenti consensu fundatur. Est enim  
homo animal sociale, eamque instinctu naturæ persuasio-  
nem concepit, honestum esse illum, qui ad societatis rece-  
ptam consuetudinem se accommodat. Sic inhonestè fe-  
cisse moribus nostris dicitur, qui, cum sit Vir honoratus, U-  
xoris mortem in rubrâ veste lugeat, aut tacitas filio procu-  
ret exequias, aut sitim sedaturus in popinam concedat rusti-  
cis plenam, &c. quæ tamen, si fiant à rustico, inhonesta non  
sunt. Vera sunt verba Cornelii Nepotis *in pref. non ea-*  
*dem omnibus esse honesta atq; turpia, sed omnia majorum institutio*  
*judicari.* Ex his igitur colligitur, posse interdum ali-  
quod licere, quod honestum non est; si respicias honesta-  
tem externam.

V. Immotum itaque est mutari non posse Jura natu-  
ræ. Interim id agit Prudentia Legislatoria, ut per Jus  
Civile præmia addat vel pœnas, eoque Cives qui Virtute  
ipsa non alliciuntur, favore aut formidine attrahat. Sic  
moechandum non esse, J. N. pronunciat, pœnam gladii  
Adulteris addit J. C: Sic matrimonia esse ineunda  
naturalis instinctus est, sed Privilegia matrimoniorum tan-  
quam præmia constituit J. C. Ascribam verba Pufendor-  
fii *Element. Jurisp. lib. 1. defn. 3. §. 18. p. 274. Habent quidem*  
*in omnibus Rebus, pleraq; jura natura, saltem ea sine quibus pax*  
*in ipsâ societate stare non potest, vim juris civilis, seu in corpus*  
*legum civilium sunt relata. Quod si autem aliqua lex natura*  
*per imperium civile vim juris civilis non acceperit, obligat quidem*  
*illa homines, sed ita, ut ob eam violatam neq; in civitate actio*  
*intendatur, nec pœna ibidem infligatur, sed soli foro divino &*  
*conscientia istius violata persecutio relinqvatur.* Sic v. g. et-  
iamsi ad officium gratitudinis per legem natura quilibet teneatur,  
ita ut revera peccet, qui quantum in se fuit gratitudinem ad-  
ver-



244  
versus benefactores non exhibuit: tamen ubi circa eam nihil est  
in leges civiles relatum, alter per vim fori civilis ad gratiam  
referendam adigi non potest.

VI. Circa permissivum naturæ Jus major est licentia,  
& id quidem Prudentiæ opus est, ut, cum permissio facile  
inclinat ad excessum quendam aut defectum, aliquam inji-  
ciat prohibitionem. e.g. Gladios gerere indifferens est, sed  
ob timendos hinc inde excessus, indiscriminatim non con-  
ceditur. Nulla etiam naturaliter inter vestitum virilem  
ac muliebrem est differentia, & tamen ob evitandam  
tectiorem libidinis occasionem, utrisque prohibetur alterius  
adhibere vestimenta. Plura exempla effugiendæ prolixitatis  
ergò omittimus.


VII. Quod restat, id tandem Prudentia Legislatoria  
statuendum judicat, quod approbaverit Consultatoria. Sed  
quæ impræsentiarum emergeret prolixitas, si de Consiliis  
diceremus, filum jubet abrumpere, & ea ad disputationem  
remittere, quam propediem de Prudentiâ Consultatoriâ e-  
jusque in determinandis Legibus efficaci judicio, pu-  
blicè conspectum iri confidimus. Saltem coronidis loco  
adjicimus spectantia huc quasi per compendium verba Pu-  
fendorfi l. c. §. 19. *Objectum legum civilium est omne id, quod  
à summâ potestate humanâ efficaciter potest injungi.*













Diss.

1671/1715

ULB Halle 3  
004 073 576




f  
sb.


WOM











11507

Q. D. B. V.  
DISPUTATIO POLITICA

De

# LEGIBUS

QVATENUS CIRCA EAS VERSATUR  
PRUDENTIA LEGISLATORIA,

Qyam

In Illustri ad Salam Augusteo

Solenniter

P. P.

PRÆSES

M. CHRISTIANUS *Weise* /

Polit. Prof. Publ.

*& Respondens*

CAROLUS FRIDERICUS *Happel*

Greussenâ-Thuringus.

ipsis Calend. Septembr. M DC LXXI.

H. L. Q. S.

LEUCOPETRÆ,  
Literis HILDEBRANDIANIS,

1532

